



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

18. An etiam illis qui aliquoties à blasphemiis absoluti, quas præ vi morbi euomuerunt, iterum in illas reincident?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

ratio huius capituli: si n. pastori constet moraliter de bona dispositione ipsius poenitentis, & scit illum Deum timere, adeoque prudentem & doctum esse, ut si quid saluti noxium haberet, statim illud declararet, & pastorem sedulo aduocaret, non erit opus, illo casu accedere, quia tunc subditus non est in necessitate graui, minus extrema.

Dices: Multi (a) graues Doctores affirmant, parochum teneri multis casibus ad confessionem suorum parochianorum audiendam, etiam quando illi ex precepto non obligantur confiteri, debet ergo & hoc casu eorum confessionem, si illam facere optent, excipere.

a *Adrian. q. 5, de confessi. dub. 8. Soto dist. 18. q. 4. ar. 2. Nauar. c. consideret, de poenit. dist. 6. à nu. 152.*

¶ Illud verum esse regulariter & per se, non autem quando tantum parochus immineret periculum, ut alias fiet manifestius.

QVÆSTIO XVIII.

An etiam illis, qui aliquoties à blasphemis absoluti, quas præ vi morbi euomuerunt, iterum in illas reincident?

Quæstionis explicatio.

EA est frequenter vis morbi pestilentialis, ut homines alioquin catholicos ex infirmitate humana ad impatientiam, blasphemias, & similis generis peccata

252 DE NECES. ET MOD. MINIST.
cara per se lethifera, non raro adigat. Horū
occasione quaeritur, an toties, quoties illos
reincidisse significabitur pastori, teneatur
eos accedere, confessionem audire, & ab-
solutiois beneficium impendere, an vero
ab huiusmodi administratione excusetur?

Responsio.

Tenebitur regulariter, etiam sub peri-
culo contagii & vitæ: est enim regula
generalis, parochū teneri sub peccato mor-
tali administrare sacramenta, quotiescun-
que illa sub eodem tenentur recipere. Cer-
tum est autem, quemcunque teneri confi-
teri toties, quoties durante morbo reinci-
dit in peccatum mortale, ergo tenetur pa-
stor in hoc prædicto casu toties subditos
accedere, & illis, si bene dispositi sint, be-
neficium absolutionis impendere.

Dixi (*regulariter*) quia posset casus eueni-
re, quo pastor excusaretur, puta, quia ipse
solus est, qui in oppido vel pago ministrat
sacramenta, & iam recēs vidit bonam dis-
positionem ægroti, & certo cognovit, q̄ li-
cet ex vi morbi per fragilitatem humanam
inciderit in aliquas blasphemias, nihil omi-
nis conceperit illarum veram contritio-
nem, sicut iam aliquoties expertus est illū
fecisse: quin etiam probabiliter dubitant,
an ex

an ex pleno iudicio proderint hæ blasphemie; etenim sunt alii ægri, ad quos vocat, & timet statum & dispositionem illorum periculosiorem esse statum istius. His enim concurrentibus parochus videtur excusatus, quia subditus illis positus non est in gravi necessitate, poterit enim ex voto confessionis, quod habet, saluari, etiam sine absolutione sacramentali, maxime accedente illo, quod pastor ad alios suo iudicio in maiori necessitate constitutos pro sacramentis vocatur, illis enim ex charitatis lege & ordine tenetur potius subuenire, & adhuc magis, si timeatur maius esse in domo illius ægri contagionis periculum, quam in domibus aliorum ægrorum, quæ non tam diu fuerunt peste infectæ, quia pro communi bono pastor se ab illo maiori periculo servare posset, adeundo minus: Quæ omnia patent ex ante dictis.

Dices: Vnde & quibus indiciis poterit sibi persuadere pastor, ægrotum veram peccatorum contritionem concepisse.

¶. Ex duobus hisce: 1. quia ex diuturna conversatione & frequenti confessione scit illum esse bene instructum, & Deum timentem, solereque dolorem peccatorum concipere propter amorem Dei super omnia: 2. quia (vti casus præsupponit) æger aliquoties

254 DE NECES. ET MOD. MINIST.
tius durante morbo confessus, semper ostendit huiusmodi contritionis signa.

QVÆSTIO XIX.

An etiam illos, quos ante vnam aut alteram horam vidit potu obrutos.

Quæstionis explicatio.

Diximus in præcedentibus, plerosque tempore pestis genio indulgere, & potu se obruere, quo ab hoc morbo contagioso præseruentur, quanquam, vt antea obiter diximus, (a) impie & stulte. Impie, quia vbi Deum propter peccata nostra iratum placare deberent, iram illius prouocant, peccata peccatis cumulando; Stulte vero, quia ex medicorum sententia & experientia teste, sicut notauit (b) Maior, excessus potus, sicut & ventris, morbum hunc non impediunt, sed accendunt: Horum occasione quaeritur, an pastor, si vocetur ad peste infectos, quos nouit à pluribus diebus vel hebdomadis potu se ingurgitare, & genio indulgere, teneatur accedere, & sacramentum ministrare, an vero ab huiusmodi administratione excusetur?

Responsio.

Tenetur, si probabiliter constet, eos sufficienti v sui rationis restitutos, quia quouiscunque homo habet rationis vsum, potest

a *Enbr. Biel*
in q. de fuga
pestis.

b *In 4. dist.*
p. q. 21.